



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

32. Misericordia charitatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

III. O diligam proximum sicut me-  
ipsum ! imò plus quàm meipsum , sicut  
Christus dilexit me , plus quàm seipsum !

## P A S S U S XXXII.

Misericordia & Eleemosyna  
Charitatis.

### T E X T U S.

*Estote misericordes, sicut Pater  
vester cœlestis misericors est.  
Lucæ c. 6. 36.*

#### *Cognitio.*

**M**isericordia est virtus , quâ dolemus  
& tristamur de miseria proximi; quam  
si commodè possimus , à fratre depellimus;  
& ei per auxilium spirituale vel temporale  
subvenimus. S. Gregor. in Lib. de Beat.  
Misericordes Christus beatos pronuntiat,  
Matth. c. 5. Misericordiam suadet Tobias  
Filio. Tob. c. 4. 8. S. Jacobus *judicium  
sine misericordia* , minatur illi , *qui non fecit  
misericordiam.* C. 2. 13.

#### Actus:

1. Exercere septem opera misericordiæ cor-  
por

poralia: Esurientes pascere, potum dare  
 sitientibus, nudos vestire, mortuos sepe-  
 lire, &c.

2. Exercere septem opera misericordiae spi-  
 ritualia, qualia sunt: Dubitantibus rectè  
 consulere, consolari mœstos, ferre pa-  
 tienter injuriam, offensam remittere, &c.

### *Dilectio.*

Quâ ratione, mi Redemptor, miseri-  
 cordiam non diligam, aut eandem negli-  
 gam: quando Tu in supremo judicii die  
 immisericordes damnationis æternæ fulmi-  
 ne feries? Si mortem malam effugere cu-  
 pio, eleemosyna ab ea liberat: si magnum  
 in cœlo præmium reportare desidero, mi-  
 sericordia, etiam calicem aquæ frigidæ  
 danti, illud procurat. Denique si orationi  
 efficaciam, Dei benedictionem, prædesti-  
 nationis signum, scutum contra sententiam  
 summi Judicis, exopto; illa omnia adferet  
 misericordia.

### *Petitio.*

*Deus meus, misericordia mea, oro Te per  
 dilectum Filium tuum, da mihi misericordia  
 opera, pietatis studia, compati afflictis, con-  
 sulere erroneis, subvenire egenis, succurrere  
 miseris. S. Aug. Med. c. 1.*

*Aspi-*

*Aspirationes.*

I. *Beatus, qui intelligit super egenum  
& pauperem; in die mala liberabit eum  
Dominus. Psal. 40. 1.*

II. *Eleemosyna virtus, peccatores iustifi-  
cat, justos glorificat, mortuos suscitât, im-  
mortalitatem mortalibus donat. S. Chryso-  
st. hom. de 7. pan.*

III. *Da mihi, Domine, cor benignum  
& misericors, sicut Tu Pater noster mise-  
ricors es!*

## P A S S U S XXXIII.

## Beneficentia Charitatis.

## T E X T U S.

*Beneficentiæ & communionis  
nolite oblivisci; talibus enim  
hostis promeretur DEUS.  
Hebr. c. 13. 16.*

*Cognitio.*

**B**eneficentia est virtus, affectum volun-  
tatis cum opere conjungens: quâ propter  
Deum, omnibus, quibus possumus, bene-  
ficia